


**05**

**A**

**1291**





23

ORATIO  
De  
Prodigiosis Locu-  
starum Copiis,

Quæ

*Anno P. V. 1681. intra dies Caniculares*

Marchiæ, populabundo agmine,  
incubuerunt,

*publicè habita*

In

Electoralis Gymnasio Joachimico

*Die 7. Decembris,*

â

Johanne Thomâ Matthiâ,  
Berolinensi Marchico.

---

*Colonia Brandenburgica,*

Ex Officinâ Georgi Schultzi, Elect. Typogr.

*Sacri Romani Imperii*  
Serenissimo **PRINCIPI,**  
**ARCHICAMERARIO ET ELE-**  
**CTORI POTENTISSIMO**  
**MAGNO**

**FRIDERICO**  
**GVILIELMO,**




*Marchioni Brandenburgico,*  
*Supremo Borussiae PRINCIPI,*

*Magdeburgi, Juliae, Cliviae, Monti-*  
*um, Stetini, Pomeraniae, Cassubiorum, Van-*  
*dalorum, in Silesia Crosnae & Carnoviae DUCI: Burg-*  
*gravio Norinbergensi: Principi Halberstadii, Mindae & Ca-*  
*minae: Comiti Marcae & Ravensbergae: Domino Ra-*  
*vensteinii, & Terrarum Lauenburgi & Bütovii*  
*&c. &c. &c.*

*Principi Pio, Felici, Augusto, Pacifico,*

*Domino suo Clementissimo.*

SERENISSIME AC POTENTISSIME  
ELECTOR, CLEMENTISSIME  
DOMINE,

 *Hanc præsentem Orationem  
de prodigiosis Locustarum  
copiis, quæ Patriæ nostræ inter præ-  
teritos dies caniculares hujus æsta-  
tis, populabundo incubuerunt agmi-  
ne, nulli alii, quam Tuo Serenissimo  
Nomini humillimè inscribere debui.  
Æquum est, ut illius rei, quæ in Tuo  
accidit Territorio, plenior considera-  
tio Tibi, Territorii Domino, Patriæ  
Patri inprimis offeratur. Ecce, stu-  
diorum*

diorum meorum primitias, quas nulli  
alii, quam Tibi, sacras esse volui,  
cum tempore etiam, ubi in justam  
arboris altitudinem succrevero, fru-  
ctus daturus, ut spero, placituros.  
Accipe, Clementissime Domine, hunc  
primum juventutis meæ florem,  
quem Tibi humillimâ devotione con-  
secravi, DEUM T. O. M. ex animo  
precatu, ut Te, Serenissime Elector,  
cum totâ Electorali familiâ cœlitus  
clementissimè sospitet, quo sub Man-  
suetudine Imperii Tui, omnium re-  
rum copiâ, beati diutissimè floreamus.

SERENITATIS VESTRÆ

humillimus, subjectissimus Cliens

Johannes Thomas Matthias



*Illustres, Generosi, Nobilissimi, Consultissimi, plurimum Reverendi, Clarissimi, Doctissimiq;  
omnium ordinum A. spectatissimi,  
Honoratissimi.*

**T**a ferè omnes à natura comparati sumus, ut nova magis & insolita hujus orbis Phænomena, quam naturalium rerum ordinarios effectus admirari soleamus. Quando res hujus mundi usitatâ naturæ viâ ex consuetudine quotidiana procedere videmus, nihil divinorum operum, quæ sua magnitudine oculos mentesque hominum in admirationem rapere debuissent, dignâ æstimatione perpendimus; Si quid verò insoliti contingat à vulgari more alienum, tum publici mortalium cœtus coguntur undique, tum in novæ rei spectaculum vultus non sine stupore defiguntur; Nemo non malorum metu percellitur, & gravissimarum rerum expectatione non commovetur. Ad corruptos hominum mores, ad impietatem execrabilem, ad hæreses exitiales, ad solutam disciplinam, ad laxata nequitix fræna non attendimus; Solis naturæ portentis, si quæ aut fax cœli insolita exardescat, aut tempestas vehementior in hæc inferiora desæviat, aut terra repentino

A con-

concussa motu contremiscat, aut aquæ suis egres-  
sæ domiciliis terram inundent, aut deformi ha-  
bitu monstrum nascatur, aut denique alio modo  
natura à solita deflectens consuetudine exorbitet,  
tunc oculos mentemque admovemus. Scelerum  
omnium erumpens in hanc ætatem maturitas,  
virtus ex hominum consortio exturbata, religio  
pietasque in maximo contemptu posita, ambitio,  
superbia, luxus, injustitia temporum nostrorum  
effrænata, prodigiosi hostiũ successus & hinc visa  
naturæ exorbitantis prodigia ceu divinæ Nemesis  
prodromi terrorem metumque incutiunt pavidis  
& malè sibi consciis mortalium animis, iis, qui-  
bus bene cum DEO convenit & veram habent  
mentis tranquillitatem in providentia Divinæ Ma-  
jestatis unicè conquiescentibus, ita ut *si fractus il-*  
*labatur orbis, impavidos feriant ruina.*

*Horatius.*

Non vanis sed certis ac indubitatis Autori-  
bus refertur, quod non ita pridem inter dies ca-  
niculares hujus anni formidabiles Locustarum  
exercitus magnis agminibus ducibus veluti præ-  
euntibus Viadrum tribus in locis cum terrore ad-  
spicientium transgressi, ingentem terræ tractum,  
in quem præcipites ex aere delapsi, populabundi  
vastaverint, & frumentis in agro penitus consum-  
tis tantum patriæ nostræ damnum intulerint, ut  
illud multis in locis vix satis possit æstimari; De-  
inde per eas quas venerunt vias regressi, ex oculis  
nostris se subduxere, ut manifestò non liqueat,  
ubi locorum infestus ille exercitus subsederit.  
Pauci procul dubio erunt, quos non afficiat, in-  
soliti



foliti hujus portentis consideratio. Homines sumus, & ad prodigiosos naturæ exorbitantis lusus obstupescimus. Scimus minutissima etiam insecta non fortuito naturæ arbitrio, sed summi Imperatoris jussu gubernari. Hoc religio Christiana nos jubet agnoscere, sic nati & educati sumus à teneris, ut in rebus prodigiosis, quæ causas etiam habent naturales, non tam ad præsentiam ostenti, quam ad Majestatem Creatoris respiciamus.

Credidi itaque humanissimi Auditores me operæ pretium facturum, si prodigiosos Locustarum exercitus, & quid de illis statuendum sit, brevi oratione vobis exposuero, obnixè obtestatus, ut me de hoc negotio peroraturum benevolentia & humanitate vestrâ velitis sublevare, ut portum, ad quem tendo, favore vestro in altum subvectus, eò facilius ac feliciter consequi possim.

DEUS puniturus hominum impietatem, non semper validam bellatorum militum manuum, hostilesque copias, sed contemptissimi nominis bestiolas in mortalium armat perniciem, tum ut efferentem se immoderatus superbiam deprimat, tum ut graviores impœnitentibus imminere pœnas præmoneat: *Pharaonis* improbitatem atque insolentiam vilissimorum vermium pullicie compescuit. *Israelitas*, sacrilegos DEI contemptores, venenatis locustarum & *Vesparum* ictibus confecit. *Cananeos*, populi Israelitici hostes, crabronum vexatos morsibus exterminavit. *Peonias* & *Dardanos* missa de Cœlo Ranarum vi patriæ sedibus exturbavit. *Carpathios* suffossa

per Cuniculos urbe, solum vertere coegit, quibus cum impares *Baleares* essent, Romam missis Legatis ab Augusto auxilia petiere, ut illorum injuriam compercerent. *Nervios* Livonum gentem serpentum, *Æthiopes* olim scorpionum & Aranearum, *Chalcidenses* foricum, *Myuntinos* & *Jonas* culicum prodigiosa multitudo solum vertere patrium coëgit. Quid dicemus de *Popelo* Poloniæ Principe, quem post detestabilem proximorum cognatorum cædem, quos omnes veneno sustulerat, ita divina Nemesis persecuta est, ut ex mortuorum cadaveribus vis numerosa murium enata Principem cum uxore & liberis epulantem cum terribili strepitu invaserit, & Parricidam frustra in latibula se recipientem miserrima nece confecerit. Quid dicemus de *Peruanis* muribus, qui impendentem isti regioni cladem & vastitatem divinitus prænuñciarunt; *Peruanam* Americæ Regionem, cum nullos unquam mures locustasque aluisset, sub adventum Hispanorum tantis provinciam copiis inundaverunt, ut arboribus satisque corrosis, magnam annonæ difficultatem pepererint. Quid dicemus de *Erucis*, *Muscis* & *Culicibus*, quibus etiam sua tum nocendi tum prædicendi vis inest; Qui non tantum *Ægyptiorum* contumaciam edomuerunt, sed postea sæpe depastis frugibus gravem annonæ caritatem, omniumque rerum penuriam invexerunt. Evenit hoc sub *Eugenii* Pontificatu, ut stirpes ac segetes omnes dirâ quadam voracitate absumerent, cum sacrum bellum Pontifex promulgaret. Non minus sub  
*Alexan-*

*Alexandro* Scotorum Rege omnem in Britannia  
annonam consumserunt, incolis fame atque ege-  
state afflictis. Et hoc seculo obseruarunt in Belgio  
ingentes papilionum exercitus à Septentrione in  
Austrum ferri, & tam densis quidem agminibus,  
ut Solis interdum lucem obscurarent; Quo anno  
Cæsareani & Christiani Ducis Brunsvicensis exer-  
citus in Aquilonari Germania in Westphaliam  
effusi, collatisque signis congressi, acto in fugam  
Duce, dimicarunt.

Sed pressius ibo Humanissimi Auditores. Ea  
quæ jam dicta sunt, partim à Locustis, partim  
ab aliis etiam vermium insectis humano generi  
damna illata fuisse legimus. Nunc solos eosque  
prodigiosos Locustarum exercitus, ut ad rem præ-  
sentem propius accedamus, ea quâ possum bre-  
vitate recensebo, & quid subsequutum sit, ex pro-  
batissimis historiarum annalibus vestrâ fretus hu-  
manitate subnectam. Sæpe igitur stupendus Lo-  
custarum exercitus, populabundo terram perva-  
gatus agmine, aut externorum militum irruptio-  
nem, aut annonæ difficultatem, aut inde pullulan-  
tem impuræ luis contagionem præsignificavit.  
Animalculum ipsum minacissimo corporis habitu,  
capite equino, ore vorace, abdomine ventricoso,  
alis strepentibus, saltu agili, caudâ acuminata, morsu  
virulento prædonum Equitum imaginem atque  
indolem videtur repræsentare. Post diutur-  
nos squallores è sicca germinatum putredine,  
noxiâ pestiferi morsus virulentiâ plantas & fata  
inficit & perniciosâ uredine in tabem resolvit, her-  
bis

bis frugibusque per immensos terrarum tractus depastis. Hinc frumentariæ rei difficultas, & annonæ caritas consequitur, & deinde vitiato potu alimentoque ex venenati spiritus afflatu, infectoque ex pereuntium tabo aere, in pecudes primo, tum in homines pestilens veneni contagium propagatur. Infestavit ille prodigiosus Locustarum exercitus cum majorum semper malorum prænunciatione *Ægyptum*, ut coopertâ Regione herbas omnes depasceret, tandem precatatione Mosis in Rubrum Mare per vehementes ventorum flatus abreptus. Infestavit *Bononiam*, & omnes vineas ita fuit depopulatus, ut in Italia sine vino nuptias celebrare cogerentur. Infestavit *Africam*, Carthagine per Romanos exusta, quâ marinis immerfus fluctibus & in littus æstu ejectus tantam excitavit pestilentiam, ut undecies centena *Numidarum*, & *Romanorum* triginta millia interirent. Infestavit Occidentem sub *Lothario* Imperatore, qui ab Oriente externa quæsiturus pabula, magno alarum stridore, obumbrato per aliquot passuum millia Sole, advolitavit; Fertur ille exercitus Locustarum viginti millibus passuum uno die per aërem instructa acie, compositisque ordinibus profectus, positis tandem castris centum quinquaginta jugera uno detondisse, arborum quoque corticibus & tectorum foribus corrasis; Duces cum paucis itinere unius diei præcedebant agmen, quasi opportuna castris loca capturi, eadem horâ, quâ venerant Antecessores pridie, universæ copiæ aderant postridie; Ante ortum solis loco cui insede-

rant,

rant, non movebantur, orto Sole demum per cohortes suas proficiscebantur; post editam longe lateque vastitatem in Oceanum Belgicum actæ sunt, rejectæque æstu in continentem, fædo spiritu aerem infecerunt, unde dira pestilentia subsecuta est. Vix defederat cum caduca pullicie pestilentiaæ rabies, cum statim sub *Lotharii* Filio *Ludovico* nova quasi ex mortuorum cadaveribus proveniret vermiculatio, quæ digito pollice major, senis alarum instructa remigiis, senis pedibus, dentibus durissimis, *Galliam* universam obtexit; præmissis ad castra metandum Ducibus militarem disciplinam observabat, quinque passuum millibus diurno itinere confectis; tandem in *Britannicum* demersa Oceanum, & illius refusione in littus rejecta, ita Cælum aurâ pestilenti corrupit, ut nata inde tabes tertiam hominum partem absumpserit. Locustarum agminibus populabundi *Normanorum* & *Danorum* institere exercitus, quorum illi in *Flandriam* & *Galliam*, isti in *Angliam* effusi, stragem vastitatemque immanem dederunt. Doluit bestio- larum illarum rabiem & voracitatem *Syria* & *Mesopotamia*, cum sub *Constantino Pogonato* *Saraceni* & *Bulgari* Romanas in *Asiâ* & *Europa* provincias de- popularentur. Doluit *Græcia* sub *Mauritio* Imperatore, cum *Cajanus* Hunnorum Rex factus in *Thraciam* impetu, duobus proeliis Romanos profligaret. Habebat victor Hunnus duodecim Romanorum millia in potestate sua, quos cum redimere Imperator nollet, concitato militum odio, imperium cum vitâ domusque suæ exitio amisit.

Eo-

Anno 677.

Anno 593.

Anno 1028.

Eodem tempore *Cosroes* foedam Romanorum stragem fecit, Persis cum immensis copiis Euphratem transgressis. Doluit Oriens universus, ita à Locustis depastus, ut incolæ venditis Liberis in *Thraciam* demigrarent. Quæ neque ipsa ab hac peste fuit innoxia, cum demersæ in Hellesponto Locustæ, & in littus ejectæ altero anno reviviscent, oramque Græciæ omnem per triennium popularentur, apud Pergamum tandem extinctæ.

Anno 1585.

Non immanes Barbarorum copiarum, non prædatrix hostium manus ita unquam Europæ fundum depopulata fuit, ac sub *Henrico IV* Imperatore Locustarum exercitus, qui nubium instar, obscurata Solis luce, omnem longè latèque agrum obtegebant. Quid dicam de Locustis aurei canique coloris, & duplici alarum remigio conspicuis, quas anno millesimo quingentesimo vigesimo septimo ventus ex *Turcia* vehemens in *Poloniam* transportavit, non sine gravissimis damnis illi genti illatis. Quid dicam de illis Locustarum cohortibus, quas ventus ex *Ponto Euxino* in *Podoliam* tanta multitudine invexit, ut per viginti miliaria circum circa omnia devorarent, & pascua inficerent, subsequutâ deinde ingenti pecorum peste, ipsis Locustis non abeuntibus ex suo loco, sed ingruente frigore, tempore hyberno extinctis. Quid dicam de Locustis partim viridis, partim cani, partim nigri coloris, quæ Anno millesimo quingentesimo quadragesimo secundo operuerunt *Italiam* mensibus Augusto & Septembri, literis nobis ignotis illarum alis prodigiosè impressis, à quibus tunc jussu Ducis

Ducis Mediolanensium duodecies mille saccos impletos fuisse legimus. Magnam *Carolo V.* Imperatore cladem ab hac peste accepit *Polonia*, magnam *Germania & Italia*, solis lumine densis volantium agminibus obtenebrato, terrâ constratâ, fructibus omnibus immani voracitate absumptis, ut præter cœnum & Cœlum nihil penè hominibus relinquerent. Quo eodem tempore ex *Sarmatia Turcica* in *Austriam*, *Silesiam*, *Lusatiam*, *Misniam* volitasse leguntur coronis in capitibus insignes, ventribus oblongis & abominandi odoris; Et tum in *Marchia* alicubi profundè ad equi unguam jacuisse & agros operuisse commemorantur. Postea anno millesimo, quingentesimo, quinquagesimo sexto Mediolani erant ad longitudinem spithamæ sex pedibus, iisque muribus majoribus non absimilibus, diversis coloribus & scissuris in toto corpore variantibus; unam reliquis quadruplo majorem captam aluit quidam civis; quæ instar serpentis sibilavit nullo cibo ante se posito. Videtis Humanissimi Auditores, quod portentosi Locustarum exercitus vel peregrinum Militem, vel famem vel diram pestis contagionem ex tetro fœtore subsecutâ præfiguraverint. Jam paulo exactius nobis examinandū restat, an ejusmodi prodigiosa Locustarū pullicies fortuito naturæ luxuriantis lusu, vel vi aliquâ superiore regionibus & agris nostris incumbat? Scio, Hum. Auditores, non de futura hominum ingenia, qui ex principiis naturalibus, non factō ad primam causam recursu, hæc omnia Locustarum phœnomena explicari posse contendent,  
B adeo.

adeoque non magis illi reflectent ad stupendos  
Locustarum exercitus, quam ad halonem circa  
Lunam visum, aut ad iridem, multiplici colorum  
varietate nostros oculos oblectantem. Sed his fa-  
cile obviam ibimus ex sacris, in quibus ipse Je-  
hova *Fictor Locustæ* non sine emphasi appellatur,  
quo encomio sacræ literæ apertè docent, ejusmodi  
Locustas & alia insecta esse DEI exercitus, & mi-  
lites Jehovæ, quibus ipse singulariter adversus ho-  
minum improbitatem proelietur. Hinc quoties  
Locustæ regiones & terras depopulatæ sunt, quo-  
ties sterilitatem & annonæ induxerunt penuriam,  
quoties agris & fatis, elusis colonorum votis, in-  
cubuerunt, toties jubente summo Imperatore,  
emissæ, & veluti copiæ militares adversus hostes  
proeliatæ leguntur. Sed quia non est Philoso-  
phi in rebus naturalibus statim ad causam pri-  
mam confugere, forsitan etiam non inconvenien-  
tes adferri possunt harum Locustarum rationes  
naturales, DEO non amplius immediatè, sed se-  
cundum ordinarias naturæ leges, quas ipse con-  
didit, constanter operante. Sunt quidam, qui in-  
secta ejusmodi, ut Ranas, Locustas, aliosque ver-  
mes, in nubibus procreari asserunt; Ex quorum  
numero *Avicenna* vitulum aliquem depluisse, &  
ex alto cœlo cum maximo imbri decidisse affir-  
mat. Sed cum generatio animalium, secundum  
statutas in natura leges, non sit momentanea, nec  
perficiatur in instanti, profectò veniam merebi-  
mur apud Cordatiores, si talem generationem in-  
sectorum modestè negemus. Nec enim credere  
possu-



possumus, materiam animalibus compingendis idoneam in nubibus suppetere, sed vitulum, aliasq; res graviores ingenti turbine aliunde esse abreptas, & cum pluvia in distantem aliquem locum delatas verisimilius est. Quis nescit, fluxam cœli substantiam, & perpetuis motibus agitatum, hujusmodi efformandis corporibus esse ineptam? Quomodo tanta moles in nubibus sustineretur, & ante completam generationem non delaberetur deorsum? Nihil communius tam apud veteres, quam novos scriptores, tempore æstivo ranas pluisse, earumque multitudine agros, colles, vias, obtectas. Sed quamvis pertinaciter inficiari nolum, ranas in nubibus gigni posse, non tamen iis facile assensum præbuerim, qui illud nimis confidenter asseverant. Hujusmodi enim animalcula nunquam in domuū tecta aut tabulata, vel ipsa, etiam flumina decidisse deprehenduntur, sed in vias duntaxat, aut loca alia multo pulvere conspersa, ex quibus postea, decedente pluvia, exsurgunt & efformantur. Observatum est in Italia, ranas pluisse, quarum anterior pars binis innixa pedibus reprobat, posterior adhuc informis, & tanquam è cœno humido coalita trahebatur. Quod sane magnum argumentum est, ranas ex putri pulvere, & delapso imbri oriri, & non tam ex ipsis nubibus, quam supra terram ex noxiâ materiæ fœcunditate, accedente solis calore, procreari; Præterea unde aeri vel nubibus materia formandis ranis suppeteret? Quâ vi coalescerent? Quibus vinculis in nubibus fluidis tam diu suspensæ ranæ detinerentur? Et quorsum, nondum perfectâ generatione,

ratione, deorsum laberentur? Quæ omnia, cum explicari nequeant, verisimilius videtur, ranas ex pulvere & aquâ pluviali generari, nec in cœlis, sed super terram progigni. Quæ ranarum, eadem Locustarum ratio, nisi quod ad Locustas, tanquam bestiolas, plenas alacritate & vigore, plus caloris requiri videatur. Si statuamus igitur, Locustas ex pulvere putri, cœlestibus pluviis irrorato, accedente majori solis æstu procreatas, quo modo ipsos etiam mures ex fœcunditate aquæ marinæ in navibus generari credimus, præsuppositâ materiâ seminio murium analogâ, nihil pronunciamus absurdi, vel sanioris Philosophiæ principiis contrarium. Nec enim sumus tam inepti, ut præter materiam certo modo dispositam, ac certum motus, id est caloris gradum, aliquid aliud ad efformandas Locustas requiri arbitremur. Merito rejicimus formas illas substantiales, à materiâ realiter distinctas, in quibus laboriosè explicandis ipsa tandem Peripatus evanescit. Nisi & hoc vobis placeat Hum. Auditores, quod ventus impetuofus & vehemens, quando superficiem telluris violento spiritu radit, omnes Locustas, quæ in toto illo tractu agunt, sublatas & coactas aliò transferat, quæ via foret hujus prodigii explicandi compendiosissima. Sed non detinebo me diutius in origine Locustarum explicanda; Tempus est, ut videam, an ejusmodi prodigiosæ Locustarum copię aliquid significant. Et de hujus quidem rei veritate non finit nos dubitare sacrarum literarum autoritas, in quibus expressè non uno loco jussu Jeho-

Jehovæ, ad inferendam mortalibus perniciem  
missæ leguntur. Et cum tres sint pœnæ gravio-  
res, quibus justissimus scelerum vindex, humani  
generis improbitatem coerceat, bellum, fames &  
pestis; ex his ut plurimum has Locustas porten-  
tosas famem ac pestem prænunciassè observamus.  
Quando enim perniciosâ uredine agros corrup-  
punt, quando fruges & segetes populabundo ag-  
mine depascunt, quando arboribus & fatis dirâ vo-  
racitate incumbunt, quid aliud expectandum cen-  
semus pavidis mortalibus, quam depastis omni-  
bus frumentis, ingentem annonæ sterilitatem, &  
hanc subsequituram gravissimam famem? Præter-  
ea si alicubi locorum subsideant, & computrescant,  
ibi nihil certius est, quam quod pestilenti tabo &  
putredine auras inficiant, & sic, aere suo veneno  
longè latèque infecto, humano generi pestem in-  
ferant lethalem. Hæc adeò necessario nexu co-  
hærent, Humanissimi Auditores, ut Vos omnes in  
meam sententiam manibus pedibusque ituros  
confidam. Si tam certa foret de præfagiis Come-  
tarum demonstratio, non opus foret tam prolixis  
de eo negotio Philosophorum Disputationibus.  
Sed non ita certum est, an prodigiosæ illæ Locustæ  
bellum etiam portentant, ut quidem certum &  
exploratum nobis est, quod famem & pestem in-  
ferant. Certè quia animalculum minax est, & di-  
sciplinæ militaris observans, omnino credibile vi-  
detur, interdum etiam bella minitari, quod si fiat,  
novimus, Martem nunquam solum, sed gemina  
stipatum Sorore, Fame & Peste accedere. Ut pro-  
inde

inde cœlestes illi Locustarum exercitus non sint  
flocci pendendi, cum longum malorum syrma  
post se trahant. Restat ultimo loco, ut paucis agam,  
quibus mediis funestæ illæ Locustarum copiæ ar-  
cendæ sint. Plinius autor est de incolis montis  
Cassini, quod adversus Locustas precibus à DEO  
impetraverint adventum avium, quas Seleucidas  
vocarunt. Imo propter fertilitatem hujus insecti in  
*Syria* imperio militari coactos homines ad ne-  
candas Locustas idem testatur. Et in *Cyrenaicâ*  
regione legem esse audivimus, ter anno eas debel-  
landi, primo ova obterendo, deinde fœtum, po-  
stremo adultas. In *Livio* pariter legimus, quod  
ad delendas, quæ Apuliam vastabant, Locustas  
Prætor *Cnejus Sicinius* designatus, & cum imperio  
eò missus cum magno hominum agmine, in col-  
ligendis iis, multum temporis insumserit. Forſan  
illud imitati sunt Principes aliquot Saxonici, qui ad-  
versus & hæc alia insecta, erucas imprimis, man-  
data typis excusa promulgarunt, quibus singulis  
subditis injunctum, ut certo tempore de erucis  
præveniendis, colligendis & interimendis suscipe-  
rent laborem. Quæ mandata sicut piam indicant  
Principum sollicitudinem, ita suâ laude non ca-  
rent. Sed ejusmodi media locum habent, quoties  
insecta ordinario naturæ cursu proveniunt, sed  
quid agas, quando turmatim innumerabilibus co-  
piis agros & campos inundant, profectò tali in  
casu adversus exercitus illos cœlestes confugien-  
dum est ad preces, quibus solis divinam iram no-  
stris criminibus infensam mitigare & avertere  
possu-

possumus; Quod Gentiles etiam agnovisse visi sunt, quando *Festum Locustarum*, octavo die ante calendas Decembris, celebrasse leguntur. Quantum ad nostrum Locustarum exercitum, illius prodigii complementum jam videmus in eo tractu, cui populabundus incubuit, & tam dirâ voracitate eas segetes & frumenta consumpsit, ut multi coloni, spe uberioris messis elusi, rei frumentariæ penuriâ premantur. Quid credimus futurum fuisse, si eodem, quo cœperunt modo, alias etiam Marchiæ partes devastassent? Sed hæc fuit DEI erga nos benignitas, ut ingratos eos hospites per easdem vias, per quas venire voluerat, reverti juberet, monstraturus nobis, quid possit, nisi resipiscamus, & seriam agamus peccatorum pœnitentiam. Nec dubium est, illas terræ partes venenato contagio infectum iri, in quibus computruerint, cum admodum probabile sit, nisi submergantur Oceano, DEI jussu non redituræ, Locustas eas ex putri feminio prognatas, quando computrescunt, aerem pestilenti tabo longè latèque infecturas, quamvis propter alias causas externas, & circumstantias intervenientes, nihil certi velimus determinare. Si quis verò ulterius inde hariolari velit, gentes ex oriente populabundas Viadrum hostili animo transgressuras, & facta per certum tractum irruptione, per easdem vias, per quas venire, regressuras, non possumus ejusmodi conjecturis, sufficienti fundamento destitutis, temerè adstipulari, cum DEUS sibi soli rerum futurarum scientiam reservare voluerit. Divinorum judicio-

rum

rum Majestatem adoramus, non perscrutamur  
curiosius. Pyraustæ quando propius involitant  
candelam, suæ temeritatis poenam luunt, & reve-  
reri discunt insolidæ lucis splendorem. Nos DEUM  
Ter Optimum Maximum veneramur & oramus  
supplices, ut Serenissimum nostrum Electorem,  
Dominum nostrum Clementissimum, cum uni-  
versa Electorali familiâ, diutissime sospitet, &  
omnes clades, bellum, famem, pestem, clemen-  
tissime à nostris finibus avertere dignetur, ut se-  
curâ & tranquillâ rerum nostrarum posses-  
sione frui queamus! Dixi.

---

**F**ervida cum rapidi fureret *Canis* ira, *Locustæ*  
In patria nostris incubuere fatis.  
*Pessima* quid timidis portendant agmina terris  
Ore vorace solum depopulata, doces.  
*Sic* quæ delusis pepererunt damna colonis,  
Hæc tibi nunc pariunt agmina grande decus.

*Bene currenti ad majora stimulum subditurus scripsit  
felicissimos precatus studiorum progressus*

J. Gerlacus V Vilhelmi,  
Gymn. Joach. Rect.

---

**O**mina dum loqueris terris infausta *Locustas*,  
\* Pandis eo studiis omina fausta tuis.  
*Exiliumque* Soli fit ut Exitiumque, *Polorum*  
Auxilium, Donum, nomen & omen habet.

*Ita applaudit Suo Optima Spei Discipulo,  
Optimi Parentis Filio*

\* *Matthias* expandens. It. Donum DEI.

Balthasar Mülnerus,  
Gymn. Joach. Sub-R.

AS (O) SE

05 A 1291

ULB Halle 3  
003 780 546




10/17

Get









ORATIO  
De  
Prodigiosis Locu-  
starum Copiis,

Qvæ

*Anno P. V. 1681. intra dies Caniculares*

Marchiæ, populabundo agmine,  
incubuerunt,

*publicè habita*

In

Electorali Gymnasio Joachimico

*Die 7. Decembris,*

â

Johanne Thomâ Matthiâ,  
Berolinensi Marchico.

*Colonia Brandenburgica,*

Ex Officinâ Georgi Schultzi, Elect. Typogr.